

ficatum. Movet me quod videam corpus tuum tam
vulneratum, movent me opprobria tua, & mors
tua. Deniq^z movent me hac, mi Deus! & ita mo-
vent, ut si non esset infernus ullus, tamen adhuc ti-
merem te: & si nullum esset cœlum, adhuc ama-
rem te. Non habes quod mihi des, pro quo te amem.
Quia etiam si ea quæ spero, non sperarem, & què atq^z
nunc te amo, te amarem.

V. Vera Contritionis paradigma hoc statui
potest. JESU mi! displicet mihi quod te offendere-
rim, quia tu es Deus meus, & omnia: quem amo,
& revereor plus quam omnes. Nunquam in æter-
num ab hac hora te offendam: statuoq^z firmiter o-
mnes occasiones fugere. In satisfactionem praterito-
rum peccatorum tibi offero vitam, passionem, &
meritata, per qua veniam spero; una cum vita
mea, & quicquid in me est, eritq^z. Aliud Theophi-
li post Christum negatum.

VI. Quo ibo ego miserabilis nisi ad Christum
bonum meum, quod inhonoravi? hoc scio, & con-
fiteor, quod tua bonitas tanta sit, ut nolis perdi opera
manuum tuarum. Respiro, & vivo ex considera-
tione quod tu sis totus bonus, & non cupias me de-
struere. Verum nihilominus etiam est, quod hoc i-
psum cruciat cor meum, quod scilicet injuriam in-
tulerim bonitati tam misericordi, quæ merebatur,
ut tibi in rebus omnibus deservirem.

VII. Vel illud ad Christum Crucifixum.

Christe mi, tu pendes ab hac cruce nudus, ut ego
me regia purpurā tui pretiosi sanguinis, in qua
mihi spes venia est, vestiam. Venio ut filius